

14. Neque enim vel Chrysostomo, vel aliis, magni alioqui nominis, Theologis subscribere possumus: qui duo isthæc vocabula συνώνυμα esse, ac proinde parem eandemq; significationem obtinere contendunt.

15. Undè factum, ut in certamine Sacramentario signi & signaculi vocabula à multis imperitè confunderentur.

16. Ceterùm hoc pacto, & Apostolus turpis ac otiose τεινολογίας esset arguendus: & σημεῖον ac σφραγίδα Grecis idem denotare, statuendum foret: Quorum illud vel cogitare impium: hoc verò cum enormi inscitia conjunctum.

17. Proinde statuimus duo isthæc vocabula differre, ut Rem, & usum rei: ita quidem, ut σημεῖον sive signum, rem, hoc est Sacramentum ipsum notet, ejusdemq; naturam ac substantiam exprimat: σφραγίς verò sive signaculum, usum Sacramentorum designet.

18. Sacramenta igitur, si ex natura ac substantia sua considerentur, signa sunt: Sed signa talia, que D. Augustino describente, præter speciem quam ingerunt sensibus, aliud aliquid faciunt ex se in cogitationem venire, signatum videlicet.

19. Dicuntur autem Sacramenta signa, partim ratione verbi nudi, per quod in ijs Deus cum fidelibus agit: partim respectu ritus externi ac visibilium Elementorum.

Σφρα-